



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Titulus XXXII. De Conversione Coniugatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

cap. unico. ne sede vacante in 6. ubi id ipsum similiter dicitur de collatione beneficij; creatio enim Monachi, quasi quoddam beneficij, seu tituli regularis collatio est.

TITULUS XXXII.

DE CONVERSIONE CONIUGATORUM.

CAPITULUM II.

Verum.

PARAPHRASIS.

Si post matrimonium legitime contractum, non consummatum, alter conjugum, altero repugnante, Religionem professus sit, sicuti quosdam sanctos à nuptijs vocatos legimus (videlicet S. Theclam, S. Iohannem, S. Cæciliam & alios apud Sanchez. S. Greg. l. 4. dialogor. c. 14.) alter conjugum in sæculo manens, si monitus continentiam servare nolit, liberè ad alias nuptias transire potest; cum enim per carnalem conjunctionem non fiat una caro effecti, separari possunt (sive alter conjugum consentiat, sive non) ita, ut unus ad Deum transeat, alter in sæculo maneat.

SUMMARIUM.

Matrimonium ratum non consummatum solvitur per professionem in Religione approbata.

Notandum. Matrimonium ratum non consummatum solvitur per professionem in Religione approbata. Ita hic & in causa sponsatus 27. & c. sequente caus. 27. q. 2. c. ex publico 7. hoc. tit. c. 1. de voto in 6. & c. xi l. 5. tract. ult. p. 2. c. 1. & p. 3. c. 11. m. 1. v. deri potest Gloss. in c. quapropter 37. eadem q. 2. c.

Cum superiore titulo de Regularibus, & ad Religionem transeuntibus, generatim actum fuerit; at verò speciales difficultates sint, si conjugati converti, seu Religionem ingredi velint: ideo de hoc titulo peculiaris annexitur.

CAPITULUM I.

Præterea.

PARAPHRASIS.

Conjux post matrimonium consummatum Religionem ingredi, & profiteri non potest, nisi alter conjux licentiam dedit, & tunc vel religionem etiam ingrediatur, vel si extra periculum incontinentiæ secundum Episcopi judicium vertetur, perpetuam continentiam in sæculo voveat. Ita hic & c. 4. & c. significavit 18. hoc tit. Explicavi L. 5. tract. ult. p. 3. c. 7. n. 1.

Corollarium. Si alter conjugum Monasterium ingressus sit, aut professionem ediderit, ab Episcopo revocari potest, ac debet, ut hic dicitur; quòd si alter conjux, in sæculo manens, licentiam dederat, licet tunc actionem propriè non habeat, potest tamen judicis officium allegato incontinentiæ periculo, & Can. constitutione implorare, ut conjux ingressus, aut professus revocetur, & sic etiam ad instantiam partis revocatio fieri potest. Qua de re plenius disputat Sanchez L. 7. de Mat.

D. 33. q. 2.



CAP.

CAPITVLVM III.

Quidam.

PARAPHRASIS.

Ad consultationem, an qui invitâ uxore Monasterium ingressus, & ad eandem redire compulsus est, teneatur illâ mortuâ redire ad Monasterium; an verò ad aliud Matrimonium transire possit: respondit Pontifex, non teneri quidem redire ad Monasterium, eò quod professio non fuerit valida; non tamen posse aliud matrimonium inire, cum votum non petendi debitum emittere potuerit, & emisserit.

SUMMARIUM.

1. *Maritus, & uxor quoad debitum conjugale pares sunt obligationes.*
2. *Professio conjugati post matrimonium consummatum, si fiat altera parte invitâ, valida quidem non est in vim professionis, valet tamen in vim simplicis voti.*

Notandum primum. Maritus & uxor, quoad jus debiti conjugalis pares judicantur, cum non minus uxor habeat potestatem in corpus mariti, quam vice versa, prout hic apparet, cum allegato testimonio Apostoli 1. ad Corinth. 7. *vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier* &c. Ratio est, quia ita servatur æquitas, & iustitia contractus matrimonialis. Veruntamen quoad gubernationem domûs uxor debet esse subdita marito, tanquam capiti suo, uti docui in *cit. tract. ult. p. 3. c. 2.* & dicam in *c. Charissimus 11. hoc tit.*

Notandum secundum. Tametsi professio conjugis sine consensu alterius conjugis facta post matrimonium consummatum absolute loquendo non valeat, uti etiam colligitur ex *cap. una 6. cit. q. 2.* quod est *S. Aug. Epist. 45. ad Armentarium.* obligat tamen instar simplicis continentiae voti à conjugate emissi, consequenter obligatur vo-

vens, seu professus ad non petendum conjugis debitum, licet petenti conjugi reddere teneatur; deinde si uovens alteri conjugi supervivat, continentiam perpetuam servare debet, juxta ea, quæ dixi *eadem p. 3. c. 1. n. 10.* & habetur in *c. placet 12. hoc tit.* Ratio dari debet, quia ob favorem divini cultûs jus præsumit conjugis profitentis intentionem fuisse, si actus non valeat ut votum solenne professionis, quod valere debeat, quatenus potest, videlicet, ut votum simplicis continentiae, juxta illud: *si non valet, quod ago, valeat, sicut valere potest, vel si non valet totaliter, valeat partialiter, sicuti explicavi cit. p. 3. c. 7. n. 3, c. 4.*

CAPITULUM IV.

Cum sis.

PARAPHRASIS.

Cum SS. Patrum constitutioni contrarium sit, si uxor marito, aut maritus uxore in sæculo relicta, ad Religionem transeat, idè Alexan. III. prohibet Episcopo Exonensi, ne in Episcopatu suo conjugem, v. g. maritum, ad Religionem transire permittat, nisi etiam uxor ingredi velit; verum si ea senex sit, & sterilis, ut absque incontinentiæ suspitione in sæculo manere possit, permitti potest, dummodo continentiam perpetuam vocet.

SUMMARIUM.

Ad validam conjugati professionem post consummatum matrimonium, quid requiratur ex parte alterius conjugis?

Notandum. Conjux in Religione profiteri non potest, nisi etiam alter profiteri velit. Ita *hic, & in c. 1. c. ad Apostolicam 13. hoc tit. c. Agathosa 21. c. 27. q. 2.* Limita primò. Nisi alter in sæculo manere volens, consentiat, ut alter conjux ingrediat, & profiteatur; tunc verò distinguendum, an conjux in sæculo juvenis sit, & in peri-

periculo continentiae positus, tunc ingressus in Monasterium revocari potest, uti videre est apud Sanchez L. 7. D. 33. n. 6. si professio nondum edita est: sin vero edita, revocari non potest, quia conjux, dummodo conscientia juris fuerit, mulier v. g. censetur se obligasse, ut & ipsa Monasterium ingrediatur, sicut jus in hoc casu requirit: si vero senex sit, & extra periculum incontinentiae, tunc ad perpetuam continentiam in saeculo servandam se obligare debet, postquam consentit, ut conjux alter profiteatur, juxta citatum cap. Agathosa, & vide, quae dixi cit. p. 3. c. 7. n. 5.

Limita secundò. Nisi conjux in saeculo manens adulterium commiserit; in hoc casu conjux innocens, cum à debito conjugij reddendo liberatus sit, Religionem profiteri potest, etiam invito conjuge adultero. Ita habetur in cit. c. Agathosa juncta Glossa, V. vel ipsa, & docui cit. capite 7. v. 7.

CAPITULUM V.

Conjugatus.

PARAPHRASIS.

Nullus conjugatus ad sacros Ordines promovendus est, nisi uxor licentiam dederit, & continentiam voverit. Intellege hac in casu, si uxor senex sit, & extra incontinentiae periculum; alioquin verò Religionem profiteri debet, postquam marito licentiam dedit, sacros accipiendi Ordines. Ita Glossa hic. V. ab uxore, & docui in citato capite 7. n. 6. & dicitur in c. uxoratus 8. hoc tit.

CAPITULUM VI.

Sanè.

PARAPHRASIS.

Si conjugatus ordinari cupiat, uxoris voluntas requirenda prius est, ut sequestrato mansionis cubiculo, postquam pariter conversi sunt, ordinentur, uxor, &

maritus: alioquin prohibetur, ne conjugatus Episcopus consecratur, nisi uxor continentiam prius professas, factum illud velum imponat, & religiosam vestem induat.

SUMMARIUM.

Conjugatus, ut ordinari possit Episcopus, quid ex parte uxoris requiratur?

Notandum. Conjugatus ordinari non potest Episcopus, nisi uxor Religionem profiteatur; & ideo in hoc casu satis non est, uxorem in saeculo manentem votum continentiae edere. Quae est communis doctrina apud Sanchez L. 7. de matrimonio, D. 41. & secutus sum citato capite 7. n. 6. Rationem dat Abbas hic. n. 2. ne aliquis uxor mulieribus associata Episcopatum obtinet, & gratias ad ditandos conjugatos in saeculo impetret. Haec ratio locum habet secundum hujus Ecclesiae praxim; ut veteri Ecclesiae constat, uxores à maritis ad Episcopatum evectis separatas non fuisse, nisi mansionis cubiculo, uti etiam ex hoc colligitur, & docui L. 5. tract. 9. c. 11. n. 5. & 6. Videri potest Baronius t. 1. ad annum 34. Interim credibile est, velum professionis accepisse, cum tribus Religionis votis, ab Episcopo editis: rationem dare postquam ex praestantia dignitatis Episcopalis, eo quod decebat conjuges, quatenus earum sensus permittit, etiam ad perfectionis viae debitum assumptas, & ideo sanctionales de Religionem professas, insuper ad ministerium aliquod Ecclesiae circa mulieres constitutas esse.

CAPITULUM VII.

Ex publico.

PARAPHRASIS.

Rescribit Pontifex, mulierem, quae ab Episcopo excommunicata fuerat, quod ad meritum redire nollet, absolvendam esse, si à viro discessit ante matrimonij consum-

summatorem, & præstita sufficienti cautione parata sit vel ad Religionem transire, vel intra duos menses ad virum redire.

SUMMARIUM.

1. Compelli debet ad cohabitandum conjugum, vel ad profectendum intra certum tempus, qui nondum consummato matrimonio, ab invita conjugum recedit, sub prætextu, quod Religionem ingredi velit.
2. Bimestre spatium conjugum ad deliberandum de ingressu in Religionem concessum, ante consummationem, num arbitrarium sit, an determinatum?

Notandum primò. Si unus conjugum alteri cohabitare aut conjugij debitum reddere nolit, à iudice compelli potest, sub excommunicatione; quod si excipiat, dicatque, se Religionem profiteri velle, cum matrimonium consummatum non sit, præfigat ei iudex duorum mensium spatium, intra quod ingredi debeat, vel ad virum redire, accepta de hoc cautione sufficiente; & potest hoc ipsi præcipere sub excommunicatione, quam incurrere debeat, si intra tempus definitum non pareat. Veruntamen si post tempus elapsum, etiam alter conjugum ingressus fuerit, revocari non debet, qui prius ingressus, & ad redeundum compelli poterat, sicuti Innoc hic tradit, & docet L. 5. t. ult. p. 3. c. 11. n. 3. & videri potest Sanchez L. 2. de mar. D. 24. n. 9.

Quæritur. Num bimestre spatium, in omni casu, conjugum deliberanti, de ingredienda Religione concessum, sit tempus arbitrarium. Respondetur, pro foro conscientie, non videtur esse tempus determinatum, sed id solum requiri, ut sincerè agat conjugum, & non diu propositum, ac deliberationem suam procrastinet, cum conjugum offensio. At verò in foro externo arbitrarium est tempus, ita tamen, ut sine causa, à spatio duorum mensium, iudici discedere non liceat, prout DD, communi-

ter docent *argum. hujus cap. in quo tamen, si rectè attendimus, spatium bimestre non fuit definitum à die contracti matrimonij, sed à tempore, quo iudex definit, uti Glossa hic tradit verbo intra duorum.*

Notandum secundò. Matrimonium licet per mutuam consensum fiat ratum, non tamen censetur consummatum, ante carnis conjunctionem, per quam vir & mulier efficiuntur veluti una caro. Ita hic & in c. 2. hoc tit.

CAPITULUM VIII.
Uxoratus.

PARAPHRASIS.

Statuitur idem, quod capit. 1. & 4. h. t. de licentia conjugis necessaria ad ingressum Religionis. Ac insuper prohibetur, ne quis Regularis mulierem aliquam tonsurare, vel ad habitandum secum præsumat assumere.

SUMMARIUM.

1. Conjugum volenti Religionem ingredi necessaria est licentia conjugis.
2. Sanctimonialia an olim tonderi solita?
3. Virorum ac Feminarum monasteria separata esse debent.

Notandum primò. Conjugum ad Religionem suscipi non debet sine licentia conjugis, uti supra dictum in c. 4. & sequentibus hoc tit.

Notandum secundò. Sanctimonialibus olim non videtur permissum, ut coma, seu capilli abscinderentur, sicuti docet Archidiaconus in c. 2. causa 20. q. 3. & in cap. 2. dist. 30. argumento ejus textus, ubi prohibetur, ne mulier existimet Religioni convenire, quòd comam sibi amputaverit, quam Deus ad velamen, & in signum subjectionis dedit; in multis tamen locis Moniales tonderi solitas, notat idem Archidiaconus, eamque consuetudinem à jure non esse alienam, significat hic Abbas n. 5. & ad textum

G g g tum

cap. hujus respondet, rescriptum hoc fuisse ad Fratres S. Joannis, sed aliam esse rationem de Monachis & Monialibus.

3 Notandum tertio, Monachis, & Sanctimonialibus simul habitare non est concessum, sed separata habere debent monasteria, & habitacula, ita, ut ab uno ad alterum non pateat introitus.

CAPITULUM IX.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Quidam in infirmitate positus cum consensu uxoris votum Castitatis emisit, & monachalem habitum suscepit: postmodum liberatus infirmitate uxorem retinuit, eaque defunctâ aliam sibi copulavit. Rescribit Pontifex, compelli debere ad relinquendam mulierem, & redeundum ad Religionem.

SUMMARIUM.

Valida est confessio facta cum conjugis licentia.

Notandum. Si conjux conjugii licentiam profitendi in Religione dedit, valida est confessio: quare si maritus v. g. ab Episcopo ad uxorem revocetur, in casu, quo ipsa in periculo incontinentiæ versatur, & Religionem profiteri non vult, aut non potest, conjugis debitum petere non potest, licet petenti uxori reddere teneatur. Deinde si uxor prior moriatur, maritus aliud matrimonium contrahere nequit, sed ad monasterium redire debet. Vide, quæ dixi inc. 4. & c. ex publico 7. hoc tit.

CAPITULUM X.

Consuluit.

PARAPHRASIS.

Quæsitum est ex Clemente III. si vir ad Religionem transierit, & ultra annum in

ea manserit, postea uxor mortua sit, an habitum sæcularem iterum assumere, & uxorem ducere possit. Respondetur, quod nec habitum regularem, quem assumpsit, abjicere, nec aliquam libertatem conjugii jungere possit, aut si matrimonium contraxit, dirimendum fore.

SUMMARIUM.

1. *Mariti profitentis, invitâ quidem uxore, tacente tamen, & dissimulata eâ mortuâ, valet confessio.*
2. *Saltem post ratificationem factam, sciente nullitatem suæ primæ professionis.*
3. *Locum habet pro modo, hæc licentia etiam in casu exortia nova uxoris vel dolo licentia.*

Notandum. Si uxore tacente, & dissimulante maritus Religionem professus sit, hac mortuâ statim valet professio. In hoc cap. intelligunt Innocentius, Abbas, & alij apud Ioann. An. sic, eorum proponunt professionem ante mortem uxoris non fuisse validam, quia licentia non erat sufficiens.

Sed quæstio est, num ipso facto, seu per solam mortem conjugis, veluti libello obstaculo, valideret confessio; an vero novo consensu, seu ratificatione opus sit, ut parte invalidè professi. Priorem partem partemque tenent apud Sanchez L. 7. de matrimonio n. 18. Barbosa hic argu. hujusmodi. Sed contrarium est dicendum in Glossa hic V. fraus. Innocentius Sanchez cit. loco. Cum enim prior professio fuerit, necesse est, novam professionem fieri; at verò nova professio fieri non potest sine novo consensu expresso vel tacito, ut consensus de forma substantiali probationis sit, sicuti & matrimonij carnalis, a cujuscunque contractûs; quare idem attendendum de matrimonio, ejus nullitas nunquam purgari, id est, si irritum factus, nunquam convalescere, nisi novus consensus contrahentium accedat, ut docent DD.

inm Glossa in c. 1. de eo, qui duxit &c. Sanchez L. 2. D. 35. de mat.

Corollarium. Ad hoc, ut conjux censetur ratificare professionem, quæ ob defectum datæ licentiæ ab altero conjuge irrita fuit, necessarium est, ut sciat defectum, seu professionem irritam fuisse, propterea videlicet, quia taciturnitas, aut dissimulatio non reputatur consensus, si res magni præjudicii sit, teste Sylv. V. *divortium* 7. l. 6. n. 7. & L. 2. d. 36. n. 3. *Navarro tunc. 28. de regul. edit. secunda & Glossa in ut. c. 1. verbo in sciam*, ubi id de nullitate matrimonij docent; etenim in utroque eadem ratio, quia non potest aliquis ratum facere velle, quod nescit irritum, etenim si quis arbitretur matrimonium, aut professionem ratam esse, perseverat in priore voluntate, neque causam habet, novi edendi consensus, animo ratificandi: deinde, si sciens nullitatis, nesciat obstaculum esse sublatum, v. g. mortem conjugis, non potest velle ratificare, cum voluntas non sit ejus rei, quam quis nescit esse possibilem.

Quæ hæcenus dicta sunt de professione, quæ facta est sine sufficiente licentiâ conjugis, similiter locum habent in casu, si data sit licentiâ metu injusto, aut dolo extorta; quia talis licentiâ perinde est, ac si nulla intervenisset, eò quòd voluntas requiratur c. 2. *can. 35. q. 3. c. una sola. eadem q. 2. c. penult. hoc tit. & docet Sanchez L. 7. d. 35. Videti potest cap. veniens. 16. & cap. sequens hoc tit.*

Ad textum hujus capituli dici debet, quòd maritus, qui sine licentiâ legitima uxoris professus erat, post cognitam ejus mortem, professionem ratificavit (altem tacite, & ipso facto, quia postea non reclamavit, sed perseveravit, & actus professorum exercuit.

Verùm ob stare videtur *Trid. Concil. sess. 25. n. 19. de regul.* ubi tempus quinquenij conceditur, ad ostendendum professionis editæ defectum; ergo propter perseverantiam, v. g. unius anni, non inducitur præsumptio ratificationis, sicuti in hoc cap.

indicatur. Huc confert etiam, quòd Sanchez tradit L. 7. d. 37. n. 10. si præcesserit professio expressa, sed irrita, non tam facile præsumi ejus ratificationem, sicuti præsumitur professio tacita, v. g. per gestationem habitus, uno anno, quando nulla præcessit professio. Respondetur ad prius: in Concil. Trident. non dicitur, quòd ante transactum quinquennium non sit præsumenda professionis ratificatio, sed decernitur, post illud tempus neminem in externo foro de nullitate audiendum esse; sin autem intra quinquennium quæstio moveatur, tunc ad judicem pertinebit, cognoscere de causa nullitatis, & num ea per ratificationem sequentem purganda sit, nec ne.

Ad doctrinam Sanchezij dico, tamen demus, quæ in jure decreta sunt de professione tacita, non habere locum in ratificatione antecedentis professionis, irrita tamen, negari non posse, quin ex varijs indicijs facta ratificatio colligi possit, ita ut judex ad perseverandum condemnare debeat, juxta responsionem hujus cap.

CAPITULUM XI.

Charissimus.

PARAPHRASIS.

Uxor Regis Sueciæ, aliàs Scotiæ, cum gravi infirmitate detineretur, timore mortis continentiam vovit, cui etiam Rex consensum dedit ad tempus, postea cum sanitati reddita esset, Rex matrimonio uti volebat: qua de re Cælest. III. consultus respondet, & mandat à se delegato, si Rex consensum duntaxat dedit ad tempus, & ipsemet continentiam perpetuam non vovit, ut reginam regi cohabitare faciat, & conjugali affectu tractare.

SUMMARIUM.

Uxor continentiam vovete potest in perpetuum, vel ad tempus, si consenserit maritus.

Ggg 2

Pro

Pro intellectu adverte primò. Quòd uxor continentiam vovere non possit, ita ut votum cedat in præjudicium mariti, nisi is consentiat, & juri suo renuntiet *c. 1. & sequentibus causa 33. q. 5. c. penult. hoc tit. & docui l. 4. r. 4. c. 7. n. 15.* Interim obligatur uxor ex voto edito sine mariti approbatoivo consensu in proprium præjudicium, ut conjugij debitum ipsa petere non possit, juxta *c. sequens.*

Adverte secundò. Tametsi uxoris in hoc casu intentio fuisse videatur, continentiam perpetuam vovere, tamen maritum non consensisse, nisi ad tempus: quamobrem ex contrario sensu colligi debet, si Rex consensum absolutè, & in perpetuum dedisset, animo renuntiandi juri suo, quod reginam ad usum conjugij revocare non potuisset, licet aliter sentiat *hic Abbas n. 5. & Sanchez l. 7. d. 40. n. 19.* quòd etiam in hoc casu maritus datam licentiam revocare, & votum mulieris irritare possit. Sed contrarium docui *l. c. & juxta o. quod Deo 4. causa. 33. q. 5. & tradit Gloss. super c. manifestè 11. eadem q. 5. ibidem Gratianus §. ex præmissis.* rationem bonam affert, quia quod attinet ad conjugij usum, vir, & uxor æquali jure pollent, & ideo, si unus eorum alterum à jure suo, quod habet, ad conjugij usum, continentia amore, ut melius Deo serviat, absolverit, ad præteritam servitutem deinde non potest reducere; uti etiam colligitur *ex c. penultimo hoc tit.* At verò quoad alia, cum vir sit caput mulieris, ideo si uxor, etiam consentiente viro, voverit v. g. abstinenciam à carnibus, vel peregrinationem longam, eo postea prohibente, irritatur votum, ut uxor implere amplius non debeat, cum maritus licentiam dando non abjecerit à se potestatem gubernationis suæ, ideoque prohibendi, quod antè concesserat, sicuti explicavi *cit. c. n. 14.*

7 Quæres, num tempus illud, quod Rex definierat, transactum tunc fuerit? Responderet, fuisse elapsum; & tunc nulla est difficultas: nisi dicere malis, quòd Rex nullum certum tempus designarit, sed tantum di-

xisse, contentum se esse, ut id fieret ad tempus, adeoque sibi integrum manere, cum vellet, aut tempore oportuno licentiam revocare, uti *And hic indicat;* alioquin vel si maritus uxori voverit continentiam, pet tempus certum v. g. quadragesima consentiat, animo renuntiandi juri suo, videatur licentia revocari non posse, quia idem jure est de parte quoad partem, quod est de toto quoad totum.

CAPITULUM XII.

Placet.

PARAPHRASIS.

Quærebatur, an mulier, que maritum mortuum credens habitum Religionis assumpsit, eoque reverso de Monasterioeducta est, post mortem viri compellenda sit redire ad Monasterium. Respondet Pontifex, votum fuisse obligatorum quoad debitum non petendum, non verò quoad vinculum Religionis; & idcirco consultum quidem esse, ut rediret ad Monasterium, non verò cogenda.

SUMMARIUM.

1. Valida non est Professio conjugii ignorante facta.
2. Professio conjugii invalidè facta in vim voti simplicis quoad debitum non petendum.

Notandum primò. Si conjux absentis & ignorante conjuge, professionem in Religione fecit, v. g. maritus, exillimans uxorem suam mortuam esse, non est valida professio, absolutè loquendo; quare cogitata nullitate, propria etiam auctoritate cessare potest: consultius tamen ipsi est, ut remota impedimento, videlicet post mortem maritis, aut uxoris, si vivente, & non consentiente marito professio fuit, sicuti in causa hujus c. factam professionem ratificet.

Notandum secundò. Si conjux professionem in Religione faciat, etiam ea non va-

seat in præjudicium conjugis ignorantis, seu non consentientis, videtur tamen valere quoad præjudicium profitentis, seu quatenus erat in potestate ipsius, vovete continentiam quoad debitum non petendum, & non transeundum ad alias nuptias post mortem conjugis, ut dixi *inc. 3. hoc tit.*

CAPITULUM XIII.

Ad Apostolicam.

PARAPHRASIS.

Cum vir & uxor per carnalem copulationem veluti una caro effecti sint, non potest unus eorum ad monasterium suscipi, nisi etiam alter continentiam voveat; imò verò Religionem ingredi debet, nisi eam aetatem habeat, ut sine periculo incontinentiæ (secundum Episcopi judicium) permaneat. Ita etiam habetur *in c. 4. hoc tit.* Vide Sanchez *l. 9. de mat. d. 35. n. 25.*

CAPITULUM XIV.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Episcopus Lugdunensis proposuit Innoc. III. quod mulier quædam coram duobus Abbatibus, solemnibus benedictione sub celebratione Missæ, uti fieri convenit, viduitatis velum assumpserit; postea nobilis vir comparuit, qui eam mulierem per nuntios sibi, verbis de præsentem, interposita arrha se desponsasse proposuit, mulier interrogata ab Episcopo, confessæ est, se in eum consensisse; sed quia audivit, eum leprosum esse, ab ipso recessisse. Respondit Papa, etsi videri posset matrimonium, si inter legitimas personas, verbis de præsentem, contractum sit, ijs viventibus in nullo casu dissolvi posse, ita ut ad secundas nuptias alteri liceat transire, etiamsi unus conjugum fieret hæreticus, & fideli cohabitare nollet sine con-

tumelia Creatoris, excepto, si ex divina revelatione, quæ omnem Legem superat, aliud cognoscatur, qua ratione de Sanctis quibusdam legitur, eos à conjugibus recessisse. Veruntamen cum recedendum non sit ab antecessorum Pontificum vestigijs, qui consulti responderunt, si matrimonium contractum consummatum non sit, licere alteri conjugum, altero inconsulto, Religionem profiteri, ita, ut ille ex eo tempore liber possit ad aliud transire matrimonium; idè hoc idem in casu isto servandum, non obstante, quod falsa fuerit causa lepræ, ob quam mulier ad susceptionem veli inducta fuit, cum sine tali causa, Religionis intuitu, profiteri potuisset. Porro tamen si mulier illa per solennem veli susceptionem habitum Religionis induisse videatur, si tamen dicat, se castitatis duntaxat concepisse propositum, & idè in domo privata manere velle, in hoc casu consummandum ei esse matrimonium, præterquam, si votum Religionis ingrediendæ edidisset, tunc enim compelli poterit, ut relicto sæculo Religionem ingrediatur.

SUMMARIUM.

Utrum per Lepram, Hæresin, vel Votum solvatur Matrimonium?

Notandum primò. Matrimonium contrahi potest inter absentes per nuntium, seu procuratorem. *L. Mulierem s. ff. de ritu nupt.*

Notandum secundò. Non est justa causa solvendi desponsationem verbis de præsentem factam, seu matrimonium ratum, si conjux postea intelligit, conjugem esse leprosum, docui *L. s. r. 10. p. 2. c. 4. n. 2.* at tamen sponsalia de futuro ob hanc causam solvi posse, dixi *eodem tractatu p. 1. c. 10.*

Notandum tertio. Etsi alter conjugum in hæresin incidat, & sine contumelia Creatoris fideli cohabitare nolit, non tamen solvitur inter eos matrimonium quo-

Ggg 3 ad

ad vinculum, divortium tamen, quoad
thorum, & cohabitationem institui potest,
ac debet. Ita habetur *in c. quanto 7. de di-
vortijs & dixi eodem t. p. 2. c. 2. n. 5. &
tradit Glossa hic v. ratum.*

Notandum quartò, Lex privata inspi-
rationis præjudicat legi publicæ, uti etiam
habetur *in c. 2. canã 19. q. 2.* nam Spiritus
Sanctus à certis regulis, seu legibus, etiam
Divinæ dispositionis (circa ea, quæ juris
naturalis, aut per se bona vel mala non
sunt) non dependet, quò minus ab ijs re-
cedere possit; quare licet matrimonium ex di-
vina institutione individuum vitæ societa-
tem postulet, tamen Spiritus Sancti speciali
vocatione fieri potest, ut aliquis uxorem et-
iam invitam relinquere debeat.

Notandum quintum. Si vir, vel mulier
post matrimonium ratum nondum consum-
matum Religionis votum edat, ingrediend-
æ, aut profitendæ, illud observare debet,
quia licitè potest, consequenter debet. Vide,
quæ dicuntur *in c. commissum de spons.*

CAPITULUM XV.

Constitutus.

PARAPHRASIS.

Quidam acolythus puellam uxorem duxit,
& matrimonium consummavit, postea ve-
rò exortà discordiã inter ipsum, & amicos
uxoris, ea alteri viro adhæsit: at verò a-
colythus ille Ordinem Sacerdotij accepit,
& monachus Cisterciensis factus est. Hoc
intellecto mandat Innoc. Episcopo, ut
mulier à dicto viro recedere, atque ma-
ritum priorem monachum effectum, su-
am professionem implere per censuram
compellat.

Notandum. Si uxor adulterium com-
mittat, maritus innocens sacrum Ord-
inem suscipere. & Religionem profiteri po-
test; non tamen solvitur matrimonium, si
consummatum fuit, quoad vinculum, &
ideò uxor alium virum ducere non potest.

Ita hic & *in c. 4. de divortijs & docui eodem
t. 10. p. 3. c. 7. n. 12.*

CAPITVLVM XVI.
Veniens.

PARAPHRASIS.

L. Maritus cum dudum profectum ce-
cepisset Religionis, illud exequi volens
pluribus præsentibus Sacerdotibus in-
terit apud uxorem, ut assentiretur, ut
rogavit Sacerdotes, ne significarem
liceri, si licentiam daret, quòd & ipsa po-
stea monasterium ingredi debere: ubi
niquè dixit maritus, nisi licentiam impe-
traret ab ipsa, quòd eidem, & non ma-
do inutilem se reddere velle: tunc ma-
lier precibus, & fletibus mariti, imp-
astantium devicta, caput ejus manu in
altari supposuit, atque ita ea profes-
tonsus fuit, & monasterium ingressa.
atque finito probationis anno professã,
mulier autem in sæculo adultera com-
missit. Super hoc casu consultus est In-
noc. III. utrum illi L. in monasterio pe-
manere liceat. Respondet Papa, & man-
dat quibusdam delegatis, ut L. maritum
in monasterio manere permittant, quia
licet ipse mulierem captiosè circumve-
nerit, ut assensum daret, quia tamen
ipsa caput ejus altari supposuit, & po-
stea in adulterium lapsa est, maritum vo-
vocare non potest, cum intentio pro-
feris, atque petitio per fornicationem ce-
ceptionem repelli possit, præsertim cum
ante fornicationem admittam matrem
revocare intermiserit.

SUMMARIUM.

1. Licentia uxoris v. g. dolo obtem-
peravit ad validam mariti profes-
sionem.
2. Doctrina Innocentij de libello for-
mido contra Religiosum, casu quo in
ro externo actio contra eum in
hæret.

Notandum primum. Licentia conjugis, dolo impetrata, non sufficit, ut alter conjunx Religionem validè profiteri possit. Ita docuit *Ioann. And. inc. ex parte n. 4. hoc tit.* & alij, quos sequitur *Sanchez l. 7. D. 73. n. 9. contra Gloss. hic v. capiosè.* Sumitur clarè ex hoc *cap.* quando dicitur, quòd mulier actionem habuerit ad revocandum maritum propter captionem, & dolum, sed exceptione repelli potuisse ob fornicationem ejus; si itaque fornicata non esset, maritum revocare potuisset, uti benè norat *hio Abbas n. 4.* imò sponte maritus egredi potuisset, eò quòd professio non valeret; sed neque convalesceret professio per conjugis in saeculo manentis adulterium, sicuti neque per mortem ejus convalescit, nisi scientia mariti, & novus consensus, seu ratificatio professionis accedat, uti docui *in c. consulti 10. hoc tit.* & contra quosdam docet *Sanchez citato l. 3. D. 35. n. 10.*

1 Annotanda hìc est doctrina Innocentij, tamen in hoc casu, quo agitur de valore professionis, judicium institui, & libellus formari possit, contra professum, ut revocetur, si dicat v. g. uxor, se non consensisse, dolum, vim injustam, aut minas intercessisse, juxta *cap. penult. hoc tit.* atque in hoc casu professi confessio prajudicat ipsi confidenti; attamen non prajudicat monasterio, quò minus defensiones & exceptiones opponere possit, ad retinendum professum, uti *Abbas etiam hìc tradit n. 6.* & sumitur ex *Glossa in causà 14. q. 2. in principio*, atque ex regula recepta, quòd confessio non ostendat rem, qua ex libera confidentis facultate non pendet, sive quatenus in alterius prajudicium tendit.

Hec verò doctrina intelligi debet in isto, & similibus casibus; atque enim si Religiosus in causa civili, v. g. ex debito, ante ingressum Religionis contracto, conveniatur, libellus formari quidem potest in Religiosum, tanquam personam, quacum contractum est, omnis tamen defensio, & executio sententiae potius pertinet ad monasterium, quippe ad quod jura omnia, &

bona professi transferunt, quamvis monasterium in tali casu non teneatur ultra id, quàm ad ipsum pervenit. Nihilominus professus praesens esse debet, non ut suam causam agat, si civilis sit, sed ut ad interrogata respondeat, utpote quò melius novit; eademque locum habent, si monachus post professionem ex consensu Abbatis contraxerit.

Quòd si criminaliter agatur propter delictum, ipsemet professus delinquens conveniendus est, atque jus & obligatio defensionis ad ipsum pertinet, sicuti & de servo dicitur *l. 3. cod. de nox. act.* At verò viceversa, si Religiosus vel servus injuriam passus sit, neque agere injuriarum actione potest, neque injuriam remittere, nisi & Praelatus & Syndicus absentes sint *L. sed si 17. §. ait prator. ff. de injurijs*, & tradit *Sanchez 6. Mor. c. 12. n. 5.* qui infert *n. 7.* si Monachus vestitu v. g. spoliatus sit, non possè eum agere, ut restitatur, sed actionem ad Superiorem spectare; is tamen jus istud agendi in judicio, aut se defendendi Religioso dare potest, imò etiam si licentiam non dederit, acta cum Religioso in judicio postea, si velit, rata habere potest.

CAPITULUM XVII.

Accedens.

PARAPHRASIS.

Rescribit Pontifex, appellatione remotà compelli debere virum ad uxorem recipiendam, quam verberibus ac alijs gravaminibus compulerat ad dandam licentiam habitus Monachalis assumendi.

SUMMARIUM.

Licentia ingrediendi Religionem, per vim injustam extorta, irrita est.

Notandum. Si licentia Religionem profitendi à conjuge per vim injustam impetrata sit, pro nulla haberi debet, & ideo professio secuta irrita est. Ita hìc, &

in

in c. 2. *junctâ Glossa. causâ 33. q. 5.* & rectè egit conjux, quando in hoc casu è monasterio exiit, & habitum abjecit, uti notat *Abb. hic n. 2.* & pluribus refert, ac sequitur *Sanchez l. 7. de Mat. 34. n. 15.*

Nec obstat Marito in casu hujus cap. quòd uxor diu tacuerit, & maritum non revocârît; nam in casu aded præjudiciali, taciturnitas, & dissimulatio, præsertim quando vis & coactio antecessit, non habetur pro consensu aut licentiâ datâ.

CAPITULUM XVIII.

Significavit.

PARAPHRASIS.

Rescribit Pontifex, uxorem, quæ post licentiam ingrediendi Religionem marito datam votum continentiae perpetuæ emisit, cogi non debere intrare Monasterium, si sit ætatis non suspectæ.

SUMMARIUM.

An cogi possit ingredi monasterium uxor, si post ingressum viri & votum continentiae a se factum, non continenter vivat?

Notandum unicum. Si uxor dans licentiam marito Religionem ingrediendi senex sit, ita, ut de incontinentia ejus non sit suspicio, non cogitur monasterium ingredi; satis est, si ipsa perpetuæ continentiae votum coram Episcopo edat. Ita *hic & in cit. cap. ad Apostolicam 13. hoc tit.* Dubium est, si in casu hujus cap. mulier, quæ continentiam perpetuam coram Episcopo vovit, postea non vivat continenter, num ad monasterium compellenda sit, saltem, ut pœnitentiam agat? Affirmat *Abb. in cit. cap. ad Apost. in fine Ioan. hic, & alij,* quos refert, & sequitur *Sanchez lib. 7. mar. d. 32.* Respondeo, & dico 1. Simulter senex conscia juris sit, tunc dando licentiam, censetur se obligare ad Religionem ingrediendam, nisi in sæculo perpetuam conti-

nentiam servare velit; quare si incontinenter vivat, præsertim post monitionem, ad monasterium compelli potest. Ita *Glossa v. totalis ætatis,* & alij apud *Innoc. in sum. argu. cap. qui uxorem 10. causâ 33. q. 1.*

Dico secundò. Si mulier contra votum non sit, neque de hoc certificetur, compelli non potest ad Religionem ingrediendam, quia ad Religionem nemo ordinatur, nisi expressè, aut tacitè promiserit, *argum. cap. integritas 13. causâ 33. q. 1.* Quòd verò in monasterium inducitur sit ad agendam pœnitentiam, id colligitur quidem ex cap. sequente, sed hodie nemè in usu non est, cum præsertim diffidulum, & plerumque ipsi etiam monasterio onerosam executionem habeat; itaque generaliter dicendum, quòd in tali casu ad Episcopi providentiam spectet, ut mulier in loco collocetur, ubi honestè, & continentè vivat.

CAPITULUM XIX.

Gaudemus.

PARAPHRASIS.

Mulieres, quæ relicto maritali thoro adulteræ factæ sunt, si earum mariti, postquam ab Episcopo moniti sunt, diligenter eas ad meliorem vitam convellunt, incipere propter Deum noluerint, inducistris cum mulieribus Religiosis ad perpetuam agendam pœnitentiam, per Episcopum collocandæ sunt.

SUMMARIUM.

1. *Maritus an possit relinquere uxorem adulteram?*
2. *Quid, si eam reliquit, & recipere nolit?*

Notandum primò. Maritus incommuni ab uxore adultera, cognito adulterio, separare se potest, neque eam etiam emendatam recipere tenetur, quamvis laudabile opus charitatis sit, si post emendationem

recipiat, quare ad hoc admonere debet Episcopus, sed non compellere. De hac regi *lib. 5. t. 10. p. 3. c. 7. n. 7.*

2. Notandum secundò. Si maritus innocens conjugem adulteram recipere nolit, uxor in monasterium includenda est, ad agendam penitentiam. Ita etiam statutum est civili jure *Authent. sed hodie Cod. ad Legem Juliam de adul.* sed hodie ferme non observatur, uti dixi in e. precedente.

CAPITULUM XX.

Dudum.

PARAPHRASIS.

Pontifex mulierem quandam, quæ cum licentia mariti Religionem professâ fuerat, ab impetitione ejusdem viri (qui in seculo manens castitatem & ipse vovit) penitus absolvit, quamvis diceret, se illius ætatis esse, ut sine suspitione incontinentiæ in seculo non possit vivere.

SUMMARIUM.

1. Conjuges ex mutuo consensu continentiam vovere possunt.
2. Quis conjugibus converti volentibus possit præcipere votum continentie?
3. Quia agendum, si conjux reperat conjugem?

Notandum primò. Conjuges mutuo pacto continentiam vovere possunt, renunciantes omni juri conjugali, quod invicem habent, ita tamen, ut vinculum conjugij substantialiter consistat, sed separatio tantum fiat quoad thorum. De hoc dixi in e. *Chariss. 10. hoc tit.*

2. Notandum secundò. Sacerdos tanquam publicus Ecclesiæ minister præcipere potest conjugibus, converti volentibus, continentiam votum; sed videtur hoc proprie spectare ad Episcopum, ideòque sacerdotem hic præcepisse, tanquam Episcopi vices substituentem, uti colligitur ex cap. significavit 18. hoc tit. & notantur *Hofst. Abb. n. 10. Joannes And. c. 2. de usuris in 6.*

Notandum tertio. Maritus, si recedens à se uxorem restitui sibi petat, tanquam spoliato, at verò uxor recedens opponat exceptionem renunciationis, & voti continentie, præsertim solennis, atque probationes in continenti faciendas offerat, restitui non debet repenti, sed prius causa examinari, & cognosci; idque propter periculum prævaricationis voti; maxime, si conjux, aut quæ repetitur, Religionem ingressa sit. Ita *hic Ioan. And. c. 2.* & constat ex dictis.

CAPITULUM XXI.

Mulier.

PARAPHRASIS.

Maritus in infidelitatem seu hæresin lapsus est, uxore persistente in fide; ideò ea per judicium Ecclesiæ à viro separata est; postea ipse ad Fidem Catholicam revertitur, & uxorem postulat: hoc in casu uxor, etiam nolente marito, Religionem ingredi potest.

SUMMARIUM.

Non datur obligatio reddendi debitum conjugi Hæresis damnato.

Notandum. Si conjux in hæresin lapsus judicio Ecclesiæ damnatus est, absolvitur conjux innocens à debiti conjugalis redditione. *argum. c. ult. de hæret. in 6.* & habetur in e. *si ille in 6. de divorrijis*, ubi distinguitur, nãm sententia, seu judicium Ecclesiæ latum sit, nec ne: si latum, & ob id innocens, seu fidelis conjux se separavit, non cogitur recipere reversum, ac penitentem conjugem, cum hæc sit una ex pœnis inflicta ob hæresin, ut alios ab obligatione, quam erga hominem habent. liberet *c. ult.* Si verò sententia non sit lata, reversum ac penitentem recipere cogitur. Ita etiam intelligi posse videtur *Inn. hic & Abb. contra Gloss. V. judicij Ecclesiæ*, & alij apud *Sanchez. l. 10. de matr. c. 15.* Vide, quæ dixi *lib. 5. tra. 10. p. 3. q. n. 10.* & dicentur in cap. de illa.

Hhh

TITU.